

eas existimarit prudentias. Nihil enim tale usquam apud hosce eosdem legitur.

Recte illud putavit eas non sine prudentia esse, quod in Menone concludit:¹⁰⁸ *Nonne ut [359] comprehensim dicamus omnes animae conatus ac omnes tolerantiae, si prudentia dux sit, in felicitatem desinunt? Si vero imprudentia, in contrarium?* Et Legum libro 3:¹⁰⁹ *Maxime vero ad primam universae virtutis ducem prudentia vero hoc est.* Et saepe alibi idem docet.

Praeter haec libro 2. capite 6. Parvorum moralium sic de Socrate Aristoteles scripsit.¹¹⁰ *Socrates senex destruebat omnino et dicebat non esse incontinentiam, dicens, quod nemo sciens mala, quod mala sint, ea eligeret.* Quod et Nicomachio 7. capite 2. refert.¹¹¹ *Socrates enim omniō pugnabat adversus sermonem, tamquam non esset incontinentia, neminem enim scientem agere praeter optimum, nisi per ignorantiam.* Vere id Socrati tribuitur. Est enim in Protagora longa ac subtilissima disputatio hac de re, quae mihi facilius persuadeat, quam Aristotelica assertio. Est quoque 9. Legum et in Timaeo eadem sententia. Sed advertendum eum nullibi horum locorum ἀκρασίας nomine uti, atque verum non est Aristotelis dictum:¹¹² *et non dixit incontinentiam esse*, non enim id negat Socrates, sed¹¹³ *a voluptatibus vinci*, ridet eos, qui id credunt posseque ad mala perpetranda quemquam a voluptate vinci atque impelli cognito, quod mala sint.

Itaque duo maxime miror, alterum est Aristotelem tam gravem philosophum, qui veritatem potiorem amicis, potiorem sui

¹⁰⁸ Οὐκοῦν συλλήβδην πάντα τὰ τῆς ψυχῆς ἐπιχειρήματα καὶ καρτερήματα ἡγουμένης μὲν φρονήσεως εἰς εὐδαιμονίαν τελευτᾶς ἀφροσύνης δ' εἰς τούναντίον; [PLATO, Men. 88.c.1 – 3]

¹⁰⁹ μάλιστα δὲ καὶ πρὸς πρώτην τὴν τῆς συμπάσης ἡγεμόνα ἀρετῆς, φρόνησις δ' εἴη τοῦτο. [PLATO, Lg. 688.b.1 – 3]

¹¹⁰ Σωκράτης μὲν οὖν ὁ πρεσβύτης ἀνήρει ὄλως καὶ οὐκ ἔφη ἀκρασίαν εἶναι, λέγων ὅτι οὐδεὶς {εἰδὼς} τὰ κακὰ ὅτι κακά εἰσιν ἔλοιτ' ἀν. [ARIST. M M 2.6.2.1 – 3]

¹¹¹ Σωκράτης μὲν γὰρ ὄλως ἐμάχετο πρὸς τὸν λόγον ὡς οὐκ οὕσης ἀκρασίας: οὐδένα γὰρ ὑπολαμβάνοντα πράττειν παρὰ τὸ βέλτιστον, ἀλλὰ δι' ἄγνοιαν. [ARIST. E N 1145b.25 – 27]

¹¹² καὶ οὐκ ἔφη ἀκρασίαν εἶναι. [ARIST. M M 2.6.2.1 – 2]

¹¹³ ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἡττᾶσθαι. [PLATO, Prt 352.e.6 – 353.a.1]